



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. Ex qua materia & forma constet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Prima opinio de efficacia forma Scot. Vega. Ferrar. D. Tho. Capreol. Bonan.

etiam aperte significat remissionem poenae. Quoad efficaciam vero est dinerfitas opinionum. Nam quidam volunt solam formam efficere, cum Scoto supra. Quod tenuit Vega lib. 13. in Tridentinum ca. 17. & Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 72. Et fuit sententia D. Thomae in 4. d. 22. q. 2. ar. 1. quaestiu. 1. ad 2. & 3. & indicat etiam q. 28. de veritate art. 3. ad 2. Tener etiam Capreolus d. 16. q. 2. art. 3. ad 1. Indicat Bonauent. d. 17. 2. p. ar. 1. q. 3. Fundamentum esse potest, quia tota haec efficacia procedit a potestate clauium, quae solum est in sacerdote, & ideo tota videtur posita in actu eius. Neq; inde fit, materiam non esse de essentia, quia non est necesse vt totu aliquod efficiat secundum omnes partes essentielles: sicut in naturalibus materia est de essentia ignis, quamuis tota actiuitas sit in forma. Et est haec probabilis opinio, & responso.

13 Secunda opinio. D. Thom. Alens. Richard. Anton. Caiet. Soto. Cano. Conc. Trid.

Nihilominus alijs videtur, partes etiam materiales huius sacramenti habere vim actiuam. Quod tenuit aperte D. Thom. q. 84. art. 1. & 2. ad 3. & q. 86. art. 6. & Alensis q. 61. memb. 6. Richard. d. 16. art. 1. qu. 2. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 17. in principio, Caieta. dict. q. 84. art. 2. vbi dicit, D. Thom. mutasse sententiam, quam tenuerat in 4. Idem Soto d. 14. ar. 2. & 3. Cano, & alij Thomistae. Et non nihil fauet Concilium Tridentinum supra, dicens, praecipuam vim huius sacramenti positam esse in forma: indicat ergo aliqua vim esse in materia. Et argumentum sumi potest ex alijs sacramentis a paritate rationis. Argumentum etiam illud iuuat, quia sacramenta noua efficiunt quod significant: sicut ergo per omnes partes significant, ita efficiunt. Et ita facile soluitur argumentu Scoti negando assumptum.

14 Primum notandum pro resolutione.

Duo tamen oportet obseruare in hac dinerfitate opinionum. Primum est, quaestionem, quae ad rem pertineat, ad summum esse posse de contritione, quando actu illa durat tempore, quo fit absolutio: quia ante absolutionem perfectam hoc sacramentum nullum habet effectum ex opere operato, quia nondum est sacramentum, licet fiat: quod etiam idem est in alijs sacramentis. Vnde fit, confessionem, cum prius sit omnino absoluta quam perficiatur, immo quam inchoetur absolutio, per se ipsam proxime & immediate non efficere, quia cum fit effectus, iam ipsa non est; & ita solum de non inabitur efficiere ipsum totum, quod constat ex confessione & absolutione, quamuis reuera efficacia procedat ab absolutione immediate: sicut etiam tota forma absolute dicitur sufficere, quamuis tantum efficiat secundum vltimam sui partem. Satisfactio etiam, quae tempore est posterior quam absolutio, non potest per se immediate concurrere ad gratiam, quae data est tempore absolutionis, efficit tamen remissionem poenae temporalis, quam ex opere operato confert: sed illa tantum esse potest moralis efficientia, non physica, quia haec poenae remissio nihil physicum ponit in homine: sed moraliter tantum fit: si autem ratione satisfactionis datur aliqua gratia ex opere operato, illam potest haec pars proprie & per se efficere: quid autem in hoc sentiendum sit, dicam infra in materia de satisfactione.

15

Solum ergo potest superesse quaestio de contritione, de qua, tempore antecedit absolutionem, eadem ratio est, quae de confessione: si vero simul concurrat cum ipsa absolutione, probabile est habere sacramentalem efficientiam ex opere operato: & de hac potissime loquitur Diuus Thomas. An vero possit dari aliud tertium membrum, scilicet, quod sit posterior tempore ipsa absolutione, pender ex alia quaestione, scilicet an possit dari hoc sacramentum informe ex defectu contritionis vel attritionis, de qua dicam infra disp. 14.

16 Secundum notandum

Alterum notandum erat, licet admittamus actus poenitentis concurrere ex opere operato ad effectum sacramenti: proprie tamen non posse dici, quod

poenitens sibi met conferat gratiam, vel remittat peccatum ex opere operato, quia simpliciter non est minister sacramenti, neque absolute confert sacramentum, sed solus sacerdos, cui data est potestas remittendi peccatum: at vero homo, seu minister non dicitur dare gratiam, vel tollere peccatum, nisi quatenus confert sacramentum. Vnde, si actus poenitentis concurrunt ad gratiam, est quatenus coniunguntur cum forma (quae est actus ministri) & ab illa quasi eleuantur ad talem effectum: Et ideo talis effectus proprie tribuitur soli sacerdoti tanquam ministro. Exemplum esse potest in sacramento Ordinis, vbi actus suscipientis ordinem, seu contactus est materia sacramenti, quae aliquo modo concurrat ad effectum sacramenti, qui tamen non est ab ipso suscipiente, sed a solo ordinante tanquam a ministro.

SECTIO III.

Ex qua forma & materia hoc sacramentum constat.

Quoniam nunc solum generatim essentiam huius sacramenti consideramus, ideo quaestionem hanc tantum proponimus, vt singulas partes quasi specificas distinguamus, & de illis proprias disputationes instituiamus. Atque ob eandem causam hic de forma nihil aliud dicemus, quam illam esse verba sacerdotis, vt concilium Florentinum & Tridentinum docent, & est communis sententia Theologorum, & satis clara, tum ex generali ratione sacramentorum, tum ex speciali huius, quod est per modum iudicij, quod per sententiam perficitur & quasi formatur. Caetera vero de hac forma dicemus dissequente.

De materia ergo dicendum superest, quae nam sit, vel quas partes habeat. Nam Durandus in 4. d. 16. qu. 1. solam confessionem dicit esse materiam, quia contritio, cum non sit sensibilis, non potest esse materia sacramenti, neq; etiam satisfactio, cum sine illa, & substantia, & effectus sacramenti consistant. Idem fere sentit Gabr. d. 14. qu. 2. Et de satisfactione Marfilus, quaez. 10. art. 1.

Vera tamen sententia, ac certa doctrina est, tres esse partes huius materiae, confessionem, contritionem, & satisfactionem. Ita docet D. Thomas supra q. 84. art. 2. & q. 90. & in 4. d. 16. qu. 1. art. 1. Richardus art. 1. q. 1. Alens. 4. p. q. 66. memb. 1. art. 2. Guillelmus Parisiens. tract. de Poenitentia ca. 45. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 17. §. 6. & caeteri scribentes. Ac tandem Concilium Florentinum, & Tridentinum doctrinam hanc probarunt, quae per singulas partes discurrendo breuiter declaratur.

Et quoniam de confessione nulla est controversia, solum expendo amplius quandam rationem superius tactam. Dicitur enim supra hoc sacramentum esse institutum per modum eiusdem iudicij, de cuius ratione est, vt ante iudicij sententiam praecedat accusatio rei, & sufficiens inquisitio, seu manifestatio delicti. Quod totum quia supponitur sententiae iudicis, & est veluti quid informe, donec per sententiam causa consummetur, ideo merito habere dicitur rationem materiae: quia vero hoc totum est de intrinseca ratione iudicij, ideo merito essentialis pars dicitur: nullus enim iudicare potest nisi de ijs, quae iuridice nouit. E contratio vero, quae iudicari quod nouit, iudex iustus dicitur Proverb. 12. Et praeterea quia hoc iudicium voluntarium est, & ad salutem animae ordinatum, ideo requirit voluntariam rei accusationem, in qua & ipsemet poenitens sit accusator, & testis, & reus, & praeterea accusatio per voluntariam confessionem est de essentia

Prima opinio de materia sacramenti Durand. Gabr. Marfil. Triaste partes materiae sacramenti sententia contra D. Tho. Richard. Alens. Guillel. Paris. Anton. Praeparatio de confessione.

Innocent. 1.

Chryso.

Ambros.

Hierony.

Greg. Naz.

De contri-

one proba-

tur.

Leo 10.

Conc. Colo.

Conc. Mo-

gunt.

Conc. Syno-

nan.

6

7

8

sentia, & de intrinseca ratione huius iudicij. Vnde Innocentius 1. Epist. 1. cap. 7. De pondere, inquit, estimando delictorum, sacerdotis est iudicare, attendendo ad confessionem penitentis, ad fletus, ad lachrymas. Et optime Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio, Quomodo, inquit, manus qua adhibere possit ei verbo, cuius genus nequaquam intelligat. Vnde infra concludit, Quamobrem opus est, ut qui laborant Christiani, sibi persuadeant sacerdotum curacionibus sua sponte sese submittere. Et propterea Ambros. Epist. 3. dicit. Prouidum debere esse iudicium sacerdotale, nec debere sacerdotem populi peccata comedere, id est, remittere, cibum enim inquit, sacerdotis est peccatorum remissio: sine praua confessione sincera: & ad idem propositum Hieronymus circa illa verba Ecclesiastes 10. Si non morderit serpens in silentio, inquit, Si quem diabolus occulte morderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, & noluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, ei prodesse non poterit: si enim erubescat agrotus vulnus medico confiteri, quod ignoras medicus, non curat. Vnde Gregorius Nazianzenus in sententiis, distictis verbis compositis, inquit, Cum medicum postulent tua vulnera, si regis illa, pestiferam sanem nil prohibere queat. Et propterea Orat. 15. in fine dixit, magnam peccatorum medicinam esse confessionem. Ex quibus etiam sumi possunt congruentia, propter quas ex hac materia inficitur eum hoc sacramentum, quæ eadem sunt cum supra adductis de necessitate huius sacramenti, scilicet, quia est accommodatissimum medium ad humiliationem penitentis: ad ruborem, ad confusionem, ad instructionem, ac denique ad correctionem & emendationem.

De contritione æque certum hoc est ex eisdem Concilijs, & ex Leone 10. in Bulla contra Lutherum art. 15. ex Concilio Coloniensi, Moguntino, & Senonensi & Catechismo Pij V. in doctrina de hoc sacramento, & ex auctoribus citatis. Et ratione, seu congruentia breuiter declaratur, quia confessio, quæ est pars huius sacramenti, debet esse accusatio sui, ordinata ad remissionem culpe consequendam: ergo postulat ut sit dolorosa confessio, & cum penitentie: nam, si quis simpliciter dicat delicta sua sine vilo dolore, erit vel quædam in delictis gloria, vel ad summum simplex historice narratio, potius quam sui accusatio: ergo postulat talis confessio ut sit dolorosa: ergo hoc modo dolor est pars huius materie, & hoc intelligimus nunc nomine contritionis.

Et ita facile soluitur fundamentum Durandi. Nam, licet contritio in se & per se non sit sensibilis, tamen per confessionem, & signa externa est aliquo modo sensibilis: & hoc satis est ut sit pars materie sacramentalis: sicut interior attentio est pars orationis vocalis, & consensus interior est de ratione matrimonij. Et hoc modo dixit D. Thomas supra qu. 90. art. 2. ad 1. & in 4. dist. 14. quæst. prima articulo primo ad 1. materiam huius sacramenti esse actus penitentis ut exterius apparentes. An vero hæc pars dicenda sit essentialis, & omnino necessaria ad substantiam sacramenti, dicam infra. Nunc solum dico, Durandum ipsum non posse negare esse de substantia, cum alias doceat sacramentum hoc sine vilo dolore factum esse nullum, ut patet in 4. dist. 17. qu. 13.

Iam vero de satisfactione, quod sit pars, explicatur breuiter, quia ad integritatem & consummationem iudicij pertinet poena inflicta reo in vindictam delicti. Deinde, quia hæc satisfactio habet aliquem effectum ex opere operato, ut infra dicetur, & plenitorem remissionem significat: est ergo aliquo modo pars sacramenti. Argumentum vero Durandi ad summum concludit non esse partem essentialem, sed tantum integram: quod facile concedimus, quanquam de hoc disputari sumus infra agentes de satisfactione. Sed vrget Durandus, nam par-

tes materiales, etiam integrales, supponuntur formæ: at vero satisfactio non supponitur, sed omnino sequitur post formam. Confirmatur, nam in alijs sacramentis, vel non distinguuntur partes materiales, ut in baptismo, vel si distinguuntur, vnicuique parti materie responderet pars formæ: ut patet in Eucharistia, & Extrema vnctione. Cuius ratio est, quia forma debet cadere super materiam: at vero in hoc sacramento est vna simplex forma, quæ nullo modo cadit super satisfactionem.

Propter hoc argumentum dixit olim Petrus de Osma absolutionem non esse dandam nisi post satisfactionem impletam, & olim ita fuisse seruatum præcipue in Ecclesia Græca, referunt historia, ut infra videbimus in materia de satisfactione. Sed dicere hoc esse necessarium, est error contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ. Vnde etiam falsum est dicere esse commodius, vel vtilius: nam reus ordo postulat, ut prius remittatur culpa, deinde fiat satisfactio pro temporali poena, tum quia hæc poena non est proprie debita donec sit remissa culpa: tum etiam quia satisfactio facta in statu peccati mortalis non valet ad remissionem poenæ.

Ad argumentum ergo negatur semper omnes partes materie pertinentes ad integritatem, supponi formæ, ut patet etiam in naturalibus, præsertim in compositis eterogeneis, & in moralibus in iudicio humano. Vnde ad confirmationem respondetur, non oportere seruari in omnibus sacramentis similitudinem in rebus omnibus: sunt enim res quædam morales, vel quasi artificiales, quæ diuersum modum habent compositionis. Dicitur tamen præterea, etiam formam absolutionis quodammodo informare satisfactionem ipsam, vel quatenus voto & proposito includitur in dolore & contritione: vel certe quatenus ipsa satisfactio per ordinem ad clauas, atque adeo per quandam moralem coniunctionem cum sacramentali forma, habet sacramentalem significationem, & aliquam efficaciam ex opere operato.

Sed quæret aliquis, an præter has partes sit aliqua alia in hoc sacramento. Quod interrogo, quia Vega libr. 13. in Tridentinum cap. 16. aliam partem addit, quam vocat cessationem à peccatis, quia hinc inchoanda est poenitentia, ut Tridentinum dicit sess. 6. capit. 14. Sed non est cur talis pars addatur: quia, si illa cessatio meram negationem, vel priuationem dicat, non est pars, quia non est actus penitentis, nec est aliquid reale, quod componat sacramentum: si autem sumatur quatenus est voluntaria, sic non distinguitur à proposito iterum non peccandi: & ita continetur sub contritione. Hæretici etiam huius temporis alias partes addiderunt in iudicio, his ommissis alias confinxerunt, scilicet fidem, & terrores conscientie. Sed eos damnat Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3. procedunt enim ex alijs hæreticis principiis circa materiam de iustificatione, de quibus suo loco dicendum est.

SECTIO IV.

Verum hoc sacramentum sit vnum tantum, illudque iterabile.

Questio esse potest de vnitæte specificæ, vel numericæ. In priori sensu certa res est, hoc sacramentum esse vnum tantum: quia, sicut Ecclesia non agnoscit nisi vnum baptismum ad regenerandos fideles, ita etiam non agnoscit nisi vnum tribunal confessionis sacramentalis ad reparandos lapsos post baptismum. Vnde sicut potestas remittendi peccata sacerdotibus data, vnicatantum est: tantum enim semel dixit CHRISTVS,

X 4 Qug-

8 Petri de Osma error.

9 Soluitur Durandus obiectio.

10 Sicut dicitur pars in hoc sacramento Vega. Conc. Trident.

11 Hoc sacramentum est vnum specie.